

constituta, sed solum hypothecata pro dote restituenta, ut notat Bald. in l. 1. in fin. num. 1. Cod. communia de leg. Joan. Faber in §. item Serviana, nu. 34. circa med. versic. sed si promitterem aliquid annuum Instit. de act. Negusan. de pign. 2. part. 4. membr. nu. 164. versic. vigesimus tertius casus est. Surd. consil. 243. n. 12. Modern. Rom. discept. forens. cap. 848. n. 19. Rot. dec. 44. n. 1. & 260. n. 1. part. 3. I. divers. Equitas verò lecurabit, non militat favore tertii creditoris, sed solum favore Domini rei venditæ, ejusque hæredum, ut ponderavit Rota in *Petrina Spolia* 5. Maii 1603. coram Card. Millino impressa post Gilian. ad stat. Perulin. dec. 109. n. 2. & in *Romana pecuniaria* 8. Junii 1646. coram me.

Nec etiam pro valida prædictorum fructuum exactio poterit deservire allegatus titulus census, qui ex lege Instrumenti erigi debuerat, & constitutus propterea præsumitur juxta dec. Burat. 10. sub num. 23. Accedentibus præsertim diversis emptorum confessionibus, in successivis venditionum Instrumentis census onere gravatam vineam concludentibus; & in hanc causam solutionem prædicti annui redditus adscribentibus, quasi ex his confessionibus, licet extrajudicialibus, resultare videatur probatio census impositi, ut advertit Bero in cap. 1. num. 76. de probat. Cenc. de cens. part. 2. cap. 2. quest. 3. art. 9. num. 12. & 13. Rota coram Burat. in adducta dec. 10. n. 8. & dec. 46. n. 2. ubi Add. n. 19. prout etiam ex solutionibus fructuum in causam census spatio annorum 40. & ultra, peractis, creationis licet Instrumentum non exhibeatur, ex leg. litibus Cod. Agricol. & censu. lib. 11. & pluribus comprobatur Cenc. de censib. part. 2. cap. 2. quest. 3. art. 9. nu. 8. cum seqq. Hieronymus Leo, decisione Valentina 19. nu. 15. Rot. coram Seraph. dec. 1226. n. 1. & 153. num. 9. & 10. p. 4. tom. 2. recent.

Cum enim ex Instrumento venditionis vera solutionis causa dignoscatur, ex jure dotali provenire, debuisset ab hæredibus Lucretiæ probari diversa causa impositi census, cum aliâ mutata non præsumatur, argument. text. in leg. in libello, §. facta ff. de cap. & postlim. rever. & in leg. 1. Cod. de probat. leg. asseveratio 10. Cod. de non numerata pecunia leg. unica, Cod. de mandatis Principum, Rota in adducta *Romana pecuniaria* 7. Junii 1641. in §. neque iidem fructus coram Eminentissimo Domino Cardinale Verospio.

Quæ sane probatio elici non valet ex præcedenti onere investendi emptoribus vineæ, in Instrumento venditionis imposito, dum illud à primo emptoris hærede, cæterisque successoribus singularibus in vinea, supponitur impletum ab anno 1600. (postquam ex tunc in causam census annuum redditum sibi accollant) & tamen ex lege venditionis, non nisi de anno 1623. impleri debuerat, quo per obitum viri, restitutio dotis Lucretiæ successerat, & talis proinde præsumptio convincitur erronea, ac consequenter reputatur irrelevans.

Eoque minus argui potest prædictum investimentum ex adductis contrahentium confessionibus in accollatione hujus annui redditus emissis, cum illæ relationem habeant, vel ad instrumentum impositionis non expresso nomine Notarii, die, nec anno, sed his in albo relictis, adeoque donec relati tenor exhibeatur, nullam mereantur fidem, ex notatis lege asse toto ff. de hæred. instit. lib. 1. Cod. de mandat. Princip. leg. unica Cod. de superind. lib. 10. ubi notat Bald. & Angel. cæterique communiter, vel se referant ad primum Instrumentum venditionis, cum Brunorio per actum, quod in expressam causam dotis annuum re-

ditum reservavit, \* & attendi debet in concursu alterius Instrumenti, ad illum se referentis, ex notat. in lege si in scripsero, ff. de condit. & demonstrat. & in authent. si quis in aliquo Cod. de edend. & in cap. Abbati de verb. significat. Surdos consil. 313. num. 60. & dec. 290. num. 17. Rota coram Mant. dec. 352. num. 2. & 188. num. 4. part. 6. Inspecta præsertim accollationis natura, quæ mature non potuit causam præcedentis obligationis, cum nil aliud sit, quam quædam subrogatio in locum debitoris, cum eisdem commodis, & incommodis, quibus apud eundem creditum existerat, ut probat text. in lege eum, §. qui injuriarum, & in leg. duobus, §. 1. ff. de jure jurand. Giurb. dec. 62. num. 29. Rot. coram Gregorio 386. num. 2. & in adducta *Romana pecuniaria* 7. Junii 1641. coram Eminentissimo Domino Cardinale Verospio.

Nec demum argui potest investimentum, ex solutionibus spatio annorum 40. & ultra peractis, sub expresso nomine census, cum talis præsumptio præsumptiva in judicio petitorio, de quo nunc agitur, contrariis quoque probationibus elidi possit, ut notat Doctores in lege si certis annis Cod. de pactis, ubi Cyr. nu. 14. Dec. n. 15. Jaf. pariter n. 15. in 3. limitat. Felin. in cap. sicut n. 30. de re judicata, Roderic. de ann. red. lib. 1. qu. 15. n. 5. in fine. Cenc. de cens. part. 2. cap. 2. qu. 3. art. 9. n. 33. & 36. per præsumptivas probationes concludentes erroris causam, à re convento posse probari, ne ad solutionem adstringi valeat in futurum: Prout dicta præsumptio erronea convincitur, ex expresso titulo dotis, in primo venditionis Instrumento enunciato, ad quod in sequentibus probatur facta relatio, vel redditur æquivoca postquam nomen illud, census, cui innititur, cujuscunque annuæ responsionis comprehensivum, potest etiam fructibus dotalibus convenire, ut advertit Roder. de ann. red. lib. 2. qu. 22. n. 66. Valasq. de jure emphyt. qu. 32. nu. 6. Salas. de contro. titulo de censu dubitat. 1. num. 1. ad med. Federicus Martin. de censib. cap. 1. n. 19. & seqq.

Et omnem casum, cum appareat annuum illud redditum fuisse accollatum in causam fructuum dotalium, videtur attendenda potius substantia rei, ac ipsam veritatem, quam denotatio census, à contrahentibus expressa, lege si uno in principio, ff. locati lege damni, ff. de damn. insect. leg. si stipulatus, ff. de usuris notat Bald. in Rubr. Cod. de jur. emphyt. in fine. Surdus de aliment. tit. 1. quest. 41. nu. 25. Rota in *Beneventana pecuniaria* 18. Junii 1607. coram Cardin. Sacrato.

Et ita bis proposito dubio, & in prima propositione utraque parte informante, in secunda verò altera tantum resolutum.

## DECISIO XLV.

R. P. D. CERRO.

Anconitana Dotis.

Mercurii 9. Decembris 1648.

## SUMMARIUM.

- 1 Mobilia per decennium præsumuntur consumpta.
- 2 Dotis pro restitutione, deficientibus liberis, fideicom-

fideicommissum ascendens alienatur. Amplia ut num. 3.

4 Depositum non integrum non relevat.

Procedendum esse ad ulteriora resolutum fuerat coram me 24. Aprilis 1643. quam resolutionem hodie Domini confirmarunt ex iisdem rationibus, & fundamentis in decisione deductis.

Nec obstat quòd Francisca Lanfrancona ex forma mandati A. C. teneretur restituere hæredibus Hieronymi, mobilia ad illum spectantia, quibus non restitutis procedi non possit ad ulteriorem mandati executionem.

Fuit enim responsum hujusmodi objectum fuisse penitus sublatum in tribus præcedentibus Decisionibus coram me emissis 4. Julii 1640, 19. Aprilis 1641, & 2. Februarii 1642. Quia aut prætenditur esse restituenda mobilia æstimata per Palazzinam, & in quodam folio descripta tempore nuptiarum ipsius Lanfranconæ; & prætenso cessat animadvertingo dicta mobilia fuisse triplicis speciei, quoniam prima continebat nonnulla mobilia preciosa, quæ distracta fuerunt à Hieronymo constante matrimonio, ut probatū fuit à duobus testibus formiter examinatis; secunda consistebat in massariis, suppellectilibus, pannis lineis, & aliis hujusmodi qualitatis, quæ ab anno 1621, quæ contractum fuit matrimonium, usque ad obitum viri secutum anno 1632. & sic per decennium, & ultra præsumuntur usu consumpta ex traditis per Peregr. consil. 70. n. 21. lib. 1. quem sequuta fuit Rota coram Reverendissimo Urgellen. dec. 192. n. 11. tertia denique continebat eadem mobilia inventariata inter bona hæreditaria Hieronymi: Unde dum pars illorum distracta fuit ab ipsomet Hieronymo, pars præsumitur usu consumpta, & residuum fuit inventariatum; novo onere illorum restitutionis Lanfrancona gravari non debet, ut plenissime firmatur in primis duabus prædictarum decisionum.

Aut verò prætenditur fore restituenda mobilia apposita in inventario bonorum hæreditariorum Hieronymi, & difficultas eruitur faciliori responsione, nam omnia prædicta mobilia subhastata fuerunt ad instantiam ejusdem Lanfranconæ ob moram hæredum dicti Hieronymi sui viri, dotem sibi non restituentium, ut probatur in ultima earundem decisionum.

Minus obstat quod bona reperta in hæreditate Hieronymi sint supposita Avito fideicommissio Galeatii.

Omissis enim cæteris aliis responsionibus datis in altera decisione. Cum agatur de fideicommissio ascendens, & sit in confesso inter partes in dicta hæreditate non adesse bona libera, Utique pro restitutione hujus dotis & distrahi, & alienari possunt etiam hujusmodi fideicommissio supposita, & speciali prohibitione alienari prohibita ex vulg. remed. Authent. res que Cod. commun. de legat. ab omnibus, & quotidie in hoc Sacro Tribunali approbato, & præcipue coram Cardinale Seraphino dec. 678. num. 5. in Anconitana fideicommissio 10. Decembris 1584. coram Blancheto apud Merlinum de legitimat. dec. 33. num. 1. in Romana dotis 30. Martii 1618. coram bone memoria Cardinale Fabricio Verospio, post Fenzon. ad statutum Urb. dec. 93. per totam, in Reatina bonorum 6. Novembr. 1632. coram bo. me. Pirovano, in Spoletana fideicommissio 30. Maii 1633. coram R. P. D. Ghislerio, & 4. Decembris 1634. coram bone memor. Merlino in Merlino in recent. dec. 154. n. 1. dec. 210. n. 4. & dec. 312. n. 1. & 2. p. 6. in Decisiones ad Tract. de Alim.

Romana dotis 31. Februarii 1641. coram Eminentissimo D. Cardinali Panzirolo in Romana Salviani de Casalibus 21. Junii ejusdem anni §. Prioritas autem, & in Fanen. dotis 4. Junii 1646. in princ. coram me in Romana dotis 23. Junii 1645, 23. Maii, & 4. Julii 1646. coram R. P. D. meo Ottobono, & in Romana census 26. Junii 1647. coram R. P. D. meo Bichio §. sed fuit responsum.

Idque etiam si constituta fuerint duo fideicommissa, alterum scilicet universale, alterum verò particulare; Dum enim non adfuit bona libera debitoris, dispositio dictæ Authentice indistinctè procedit tam contra universale, quam contra particulare, & absque eo quod procedere debeat discussio bonorum universali fideicommissio suppositorum, ut firmat Jaf. ibid. n. 32. quem sequuntur Decian. consil. 18. n. 28. lib. 2. Cancr. variar. resolut. part. 1. cap. 9. n. 365. Peregrin. de fideicommiss. art. 42. n. 54. Fular. de substitut. q. 571. n. 58. aliisque plene relatis doctè responsum fuit in dict. Spoletana fideicommissio coram bon. mem. Merlino in recent. dict. dec. 312. nu. 30. cum seqq. part. 6. Ea scilicet ratione, quia cum hujusmodi privilegium detractionis non proveniat à voluntate fideicommittentis, sed à lege; ipsa lex æquè subjicit utrumque fideicommissum, nec mandat prius unum, quam alterum discuti, idemque firmatur in dict. Romana Salviani de Casalibus coram me, §. cuius Auth. & admissum fuit in Bonon. fideicommissio, seu domus 30. Aprilis 1646. coram R. P. D. meo Bichio, §. pariterque detrahi. Eoque facilius in proposito quo eadem personæ sunt vocatæ ad utrumque fideicommissum: Hoc enim casu multò minus considerari debet differentia inter universale, & particulare, ut in fortioribus terminis ponderant Gabr. consil. 138. num. 30. lib. 2. Gratian. discept. forens. cap. 404. sub n. 20. Thomat. dec. 51. n. 50.

Cæterum, suppositum quod hodie agatur pro augmento, non autem pro restitutione ipsius dotis, quæ asseritur constituta in solis scutis 2250. ideoque non intret Auth. beneficium, non merebatur allegari, quia dicta dos constituta fuit in summa scut. quatuor mille in hac quantitate exacta per Hieronymum, juxta ipsius confessionem de recepto urgentissimis adminiculis coadiuvantam, ut latè firmatum fuit in tribus decisionibus hujus causæ coram R. P. D. meo Arguelli sub diebus 17. Junii, & 25. Novembris 1647. ac 31. Januarii præteriti.

Ideoque obstant depositum, & oblationes aliàs factæ, quia cum hodie dictis tribus decisionibus canonizatum fuerit creditum Lanfranconæ in dictis scut. 4000. depositum & illud, & oblationes tantquam non integræ, non suffragantur ex doctrin. Angel. in leg. acceptam n. 2. vers. unde si nummus. C. de usur. cum cæteris adductis in altera decisione edita 7. Febr. 1642. coram me vers. nec relevare. Et ita &c.

## DECISIO XLVI.

R. P. D. MELTIO.

Romana hæreditatis de Gratianis.

Veneris 11. Decembris 1648.

## SUMMARIUM.

- 1 Via executiva contra tertium non competit, & n. 14. Fallit ut n. 2. & n. 15.

- 3 Litigiosi vitium non contrahitur, ex actione personali. Declara ut n. 4.  
 5 Bona in liem deducta, ex causa dotis, sine vitio litigiosi, possunt alienari. Et de ratione, n. 6. Declara ut n. 7. & 8.  
 9 Collusio presumptionibus probatur: Ex sanguinis conjunctione presumitur, n. 10. ex aliorum bonorum existentia, nu. 11. Affecta longiori lite, n. 12. Quinquennii lapsu tollitur, n. 16.  
 13 Scientia ex conjecturis probatur, pro inducenda collusione.  
 17 Remedium quorum bonorum comprehendit etiam bona reversa ad hereditatem.  
 18 Filiatio probatur ex communi tractatu.

Concesso per Rotam mandato, immittendo Francisco Gratiano, in possessionem medietatis omnium bonorum quondam Octavii ejus patris, adversus Lælium alterum patrum, eorum occupatorem, ex fundamentis deductis in decisione coram R. P. D. meo Rojas emanata sub die 7. Februarii 1642. resolutum etiam postea fuit, illud esse exequendum super quadam domo sita in Campo Martio, possessa à Jo. Francisco Attavante, quam esse hæreditariam dicti Octavii partes non controvertunt, & probatur ex Inventario bonorum hæreditariorum, ejusdem Octavii Summ. Francisci Gratiani nu. 1. Ad cujus resolutionis formam facto decreto, ab eo appellavit dictus Attavante, & addita Signatura Justitiæ, referri mihi obtinuit, cum facultate procedendi ad legitimam executionem. Unde sub hac die, super hoc proposito dubio, DD. affirmativè responderunt, moti ex eo, quòd licet contra Tertium, & executivà viâ, procedi non possit, Felin. in c. cum super n. 15. de sent. & re judic. Castr. in l. à Divo Pio, §. si super rebus n. 2. & ibi Bart. & Ang. n. 1. Alex. n. 28. vers. & pro hoc bene facit de re judic. Ruin. conf. 87. n. 1. & seq. lib. 4. Rota coram san. me. Gregor. XV. dec. 21. n. 1. & 2. & in Romana computorum 18 Martii 1594. coram bon. mem. Card. Milino, & in Romana Vineæ 20 Octobris 1617. coram bon. mem. Manzanedo: tamen ex quo domus, de qua agitur, translata fuit per Lælium Gratianum in dictum Jo. Franciscum Attavantem, lite pendente, \* & postquam possessio dictæ domus, vitio litigiosi affecta fuerat, per interdictum, quorum bonorum intentatum ad instantiam præfati Francisci Gratiani, talis translatio non sustinetur, toto vit. ff. C. & in authen. de litigios. Abb. in c. Eccl. il. 1. n. 9. ut lit. pend. l. 2. ubi gl. & DD. C. de litig. Bart. in l. 1. ff. eodem, Alex. conf. 45. n. 5. lib. 3. vers. quia res litigiosa. Rim. conf. 89. n. 6. vol. 1. Bursat. conf. 100. n. 13. vers. quod nec pars contraria negat lib. 1. Afflict. dec. 396. Guidop. dec. 337. adeo ut super dicta domo possit executivè procedi non secus ac si dicta translatio secuta non fuisset, ut præter relatos in decis. R. P. D. mei Rojas, text. est in leg. Chirographis §. fin. ff. de administrat. tut. & l. fin. C. de litigios. & ibi Bald. n. 1. Bart. in l. 1. ff. eod. Jaf. insl. action. §. omnium n. 84. Surd. conf. 355. n. 13. vers. accedat quod ubi alienatio, Ber. conf. 155. n. 40. vol. 1. Ruin. conf. 34. n. 12. lib. 5. vers. quantum verò ad secundum. Negul. tr. de pignor. in 1. membr. 8. p. ped. n. 17. vers. 3. fallit. Cancr. var. resol. cap. 15. n. 17. cum seq. Res enim semel effecta litigiosa, transit cum eodem vitio litigiosi, Gratian. discept. forens. cap. 502. n. 36. qui ad id plures alios cumulat; & succedens in re litigiosa, quod sustineat omnimodam personam ejus, in cujus locum successit, adeo ut quemadmodum sententia immisionis, lata contra Lælium principalem, si is possideret, contra

eum exequenda esset: pari modo fit exequenda contra Attavantem illius successorem, tradit Menoch. consil. 319. n. 13. lib. 4. & firmavit sæpius Rota signanter dec. 392. n. 39. p. 5. recent.

Obstare neque visum fuit, quod interdictum, quorum bonorum intentatum per Franciscum Gratianum sit actio personalis, & super qua non contrahitur vitium litigiosi, Soccin. jun. consil. 13. n. 1. lib. 4. Roland. consil. 5. n. 8. lib. 2. Honded. consil. 20. n. 42. lib. 1. Menoch. consil. 1187. n. 2. lib. 13. cum aliis adductis à scribentibus pro parte Attavantis. Quia placuit DD. responsio data in decis. dec. R. P. D. mei Rojas sub §. nec dicatur: quòd nempe, ut intret executio contra intrusum, lite pendente, sufficit litem motam fuisse super possessorio, & nam ex hoc redditur litigiosa possessio, quæ validè acquiri, ac in alium transferri non potest in præjudicium Actoris, & ultra adductos in d. §. nec dicatur, declarat text. in l. Divus, ibique gloss. ff. de pet. hæredit. l. alienatio nos, ff. famil. hercis. lib. 2. C. de litigios. Lancell. de attent. p. 4. in præfatione, n. 181. vers. quamvis autem, Paris. consil. 108. n. 4. vers. & quia questio erat super possessorio, lib. 1. bene Cephal. consil. 19. n. 15. vers. verum est, tom. 2. Afflict. dec. 396. n. 8. in fin. & 9. Rot. dec. 3. ut lit. pendente in novis, & in terminis litis super immisione dec. 557. n. 20. & 21. part. 5. tom. 2. recent. & coram bon. mem. Burat. dec. 917. n. 2. vers. tum quia, & seq.

Neque ullius est relevantiæ, quòd dicta domus pervenerit in Attavantem, ex causa dotis Cassandree, filia Lælii Gratiani, ex qua, prout etiam ex causa Legati, Transactionis, & divisionis, bona in litem & deducta, possunt sine vitio litigiosi alienari, juxta limitationem, de qua in lege fin. Cod. de litigios. ibi exceptis, & C. Angel. in auth. de litigios. n. 7. vers. item ex causa, ubi amplian-do declarat, dictam limitationem procedere, five agatur de constitutione, five de restitutione dotis; refert, & sequitur Natt. consil. 401. num. 1. Cravett. consil. 481. n. 2. lib. 3. Decian. consil. 109. n. 10. lib. 3. Lancell. de attent. part. 2. cap. 4. n. 548. Cancr. var. resolut. part. 2. cap. 12. num. 51. & 52. Quia ultra responsiones datas in dicta decisione R. P. D. mei Rojas, adhuc objectum tollitur & ex eo, quòd ratio finalis dictæ limitationis in casu dotis, est publica utilitas, ne scilicet mulieres in nuptiæ remaneant; ad tradita per Cujac. ad tit. C. de litig. col. 3. in fin. & per Castill. dec. 110. n. 4. vers. ne remaneant indotata contra favorem publicum, lib. 2. In proposito autem casu cum Cassandra filia dicti Lælii de tempore motæ litis jam nupta, & dotata reperiretur, deficit dicta causa finalis, qua cessante, cessat dispositio legis, l. adigere, §. quamvis de jure patr. cap. cum cessante de appellat. gloss. singular. ubi Bart. in leg. 1. in princip. verb. providentia, ff. de legit. tut. Dec. in cap. 1. col. 5. vers. tertia conclusio de consil. Gratian. discept. forens. cap. 546. n. 21. vers. qua cessante.

Ulterius neque dictæ domus alienatio DD. visa fuit facta bona fide, sed potius collusivè, & in fraudem executionis, & judicialis auctoritatis, quo casu dispositionem d. legis finalis, non procedere tradit Innocent. in cap. Ecclesia l. 1. ad finem, vers. sed opponens ut lit. pendente. Angel. in d. l. fin. n. 3. in fine, vers. vel transactione facta bona fide non in fraudem. Farinac. in fragment. verb. litigiosa num. 157. vers. declaratum modo, Castill. cap. 110. nu. 4. lib. 2. vers. & illi qui loquuntur. Giurb. cap. 62. nu. 11. vers. si ex causa onerosa putà dotis.

Et quamvis collusio regulariter non præsumatur, cum tamen soleat secretè committi, probatur etiam

- 8 & etiam eis conjecturis, & suspicionibus l. quia autem, §. non simpliciter ibi, si tamen nulla suspicio collusionis Religionem Prætoris instruxerit, ff. si quis omisi. caus. testam. Bald. in l. 1. in fin. ff. eod. Corn. consil. 29. n. 17. vers. tamen dolus ipse vol. 3. Crav. consil. 997. nu. 16. lib. 6. Bellam. decis. 614. Gigas de pensionibus q. 42. n. 4. & ut ex solis presumptionibus, & conjecturis plenè illa probetur, firmat Castill. dec. 89. nu. 19. Mut. dec. 75. nu. 25. & dixit Rot. apud Caputaq. decis. 143. part. 1. & decis. 23. num. 3. part. 1. recent. & coram Mantie. dec. 246. n. 5.

Præsumptiones autem, & conjecturæ hic non defunt, & prima desumitur ex arctissima sanguinis conjunctione\*, quæ licet de per se non sufficiat, juncta tamen cum aliis, urgentissima considerari solet conjectura collusionis text. in l. data, C. de donation. & in leg. penult. in princip. de bon. liber. & notat Bart. in leg. non solum. ff. de vit. nupt. Jaf. in §. si quis in fraudem n. 55. insitut. de action. Ancharan. consil. 251. Decian. respons. 11. n. 116. lib. 1. Calanatt. consil. 28. n. 23. Papon. consil. 63. n. 11. & 25. Menoch. de presump. presump. 25. n. 11. vers. quinta est. Giurb. decis. 62. n. 5. Burat. decis. 365. num. 6. vers. 2. autem ex eo.

Alia, & eaque fortis conjectura elicitur ex eo, quòd cum dos Cassandree esset constituta, ac jam soluta pro scutis 2000. in domo sita, ad viam Babuini sub prætextu, quòd dicta domus non ascenderet ad dictum valorem, sed deficeret scuta 500. loco illius assignata fuit domus litigiosa, quæ quidam assignatio apparet collusivè facta ad eludendum, nempe judicium contra ipsum intentatum, quandoquidem non fuit prius justificatum, prout opus erat, dictam domum non fuisse valoris conventi, & cum neque etiam negetur alia bona libera potuisse pro dicta dote assignari \* mala fide videtur alienata domus litigiosa, de qua agitur, quam conjecturam valde ponderavit, ac admisit Rota in hac causa in dicta dec. coram R. P. D. meo Rojas in §. nihil obstat in fine.

Hæc autem collusio evidenter concluditur, alia urgentiori præsumptione ex eo adducta, quia Attavantes quamvis potuerit expedire, & executivè ab hujusmodi molestiis se eximere stante promissione sub obligatione Camerali ad ipsius favorem à Lælio facta de faciendo consentire omnem, & quamcumque personam interesse habentem, tamen magis voluit, & vult longam litem \* sustinere, quòd præbet magnum adminiculum collusionis, & manifestè demonstrat totum id fieri in gratiam, & sumptibus Lælii ejus foci ex traditis per Mutam decis. 6. n. 20. & decis. 35. nu. 17. Surdus decis. 259. Vivian. decis. 530. lib. 4. Simulatio enim, ac collusio nascitur ex insolitis, & ex inverisimilitudine. Castrenf. consil. 74. in causa mota, columm. 2. lib. 2. Cravett. consil. 156. n. 9. Decian. consil. 62. n. 72.

Prædicta facilius procedunt stante scientia litis in Attavante bene deducta ex conjecturis in decisione R. P. D. mei Rojas ponderatis, scilicet ex diuturnitate litis, continua cohabitatione, & sanguinis conjunctione inter eundem Attavantem, & Lælium, istæ enim simul junctæ sufficienter probant scientiam, \* siquidem in ea probanda non exigitur tam exacta probatio, sed satis est, quòd illa colligatur ex indicis, & præsumptionibus, Cravett. consil. 193. nu. 7. vers. quæ scientia, Riminald. junior. consil. 234. n. 326. Alb. consil. 281. nu. 4. Cost. de scient. & ignor. inspect. 64. nu. 2. Rota Januen. decis. 172. nu. 9. vers. si quidem in scientia: Maxime dum agitur de probanda scientia

quæ dolus, & alienandi fraudem infert. Mar. Anguisciol. consil. 16. num. 10. Et quamvis talem scientiam, Rota, & DD. deducere ut plurimum soleant ex subhaftationibus, quæ præcesserint alienationem rei litigiosæ, tamen non inde sequitur, quòd aliunde etiam probari non possit, & sufficit, quòd de ea quoquo modo constet, licet nullæ appareant factæ subhaftationes, Giurb. d. dec. 62. num. 13. vers. illud tamen.

Nec refragatur, quòd ad effectum præsumendi fraudem in hac materia, duo copulativè requirantur, nempe scientia litis in tertio possessore de tempore alienationis, & quòd alienans non haberet alias res præter alienatas, \* aliàs data prout hic existantia aliorum bonorum, nequaquam possit agi recta via contra tertium possessorem, sed prius agendum sit revocatoria ad rescissionem contractus ad tradita per Bart. in l. Creditores n. 23. vers. videamus ergo, §. de pignor. & in l. si quis missum, §. Judex n. 3. vers. quæro quid si ante, ff. de damn. infect. Covar. practicar. qu. cap. 15. n. 7. vers. imò eis hac scientia. Rota coram Burat. decis. 231. n. 5. vers. & ideo. Quia opinio Bartholi procedit in Creditore agente simpliciter actione personali ad solutionem æris alieni, tunc enim habet necesse probare utrumque requisitum, nempe scientiam tam litis pendente, quam inopiæ debitoris, nam ex eo solo, quòd tertius possessor sciat pendentiæ litis, non inde resultat fraus, si creditor potuit in aliis bonis satisfieri, prout nec sufficit sola scientia inopiæ, quia ex illa deducitur quidem fraus contra creditorem, sed non contra Judicem, Secus autem est, quando, prout hic, agitur respectu certæ rei, & ad rem aliquam petendam, atque ad illius traditionem; nam tunc, quamvis dicta res petatur actione personali, & ultra rem petitam existant alia bona, nihilominus alienatio dictæ rei facta pendente lite & cum scientia pendentiæ litis, dicitur facta in fraudem executionis, & judicialis auctoritatis, & ita non impedit, \* quin absque novo judicio, & absque ulla revocatoria possit executivè procedi contra tertium possessorem. Bald. in leg. ob maritorum, C. ne uxor pro marito, l. certa forma, Cod. ut in possess. legat. & in leg. execut. C. de execut. rei judicat. n. 26. Castrenf. & alii DD. in l. à Divo Pio, super rebus, ff. de re judic. & in terminis Covar. dicto cap. 15. n. 7. vers. sed si actione personali, Giurb. dicta decis. 62. num. 11. Cancr. var. resolut. cap. 17. de sentent. & execut. nu. 467. Idque sine difficultate procedit, si consideretur, quòd existantia aliorum bonorum penes Lælium nullo modo suffragari potest Francisco Gratiano, cum ipse obtinuerit mandatum immisionis ad medietatem bonorum hæreditariorum q. Octavii, ad illa tantum, & non ad propria Lælii agere potest.

Non obstat pariter, quòd à die alienationis dictæ domus lapsum sit quinquennium, \* & ita de collusione amplius opponi non possit, ad textum in lege collusionem detegere, ff. de collusionibus. Quia omittis aliis responsionibus, & præsertim, quòd dicta lis loquitur de collusione ingenuitatis, cujus speciali favore sancitum videtur, ut contra eam exceptio collusionis non perpetuetur, sed limitatè intra quinquennium tantum opponi possit juxta gloss. in dicta lege collusionem detegere, verb. aliter: Objectum tollitur ex facto, nam alienatio domus facta fuit de anno 1639. prima autem decisio in hac causa coram R. P. D. meo Rojas emanata, legitur sub die 29. Maii 1643. & sic antequam effluerit dictum quinquennium.